

Jahres = Bericht

über das

Gymnasium in Bielefeld,

im

Schuljahre von Michaelis 1824 bis Michaelis 1825,

womit

zu der auf den 29sten und 30sten September

festgesetzten

öffentlichen Prüfung und Redeübung

der Zöglinge dieser Anstalt

ergebenst einladet

Aug. König,

Director des Gymnasiums.




Praemissa est eorum, quae Plato in libro, qui inscribitur politia, de puerorum educatione et institutione praecipit, brevis explicatio.

Bielefeld, 1825.

Gebruckt bet dem Buchdrucker Küster.

BIEL (1825)



Omniū antiquitatis populorum, amplitudinem ingenii, sagacitatem mentis, literarum artiumque splendorem et elegantiam, vitaeque institutorum praestantiam si spectaveris, nullum cum Graecis de palma contendere posse, non est sane, quod dubites; ecquis enim illorum tot tantaque ex se ipso progenuit ingenii monumenta quam ille, qui instar lunae inter minora sidera in coelo antiquorum elucet temporum, Graecorum populus? ecquis non modo veterum sed etiam recentiorum aevorum, quae non suo ex ingenio promsit, sed aliunde arcessita ad se transtulit, majori acumine et subtilitate pertractavit excoluitque, ut plane ejus propria esse videantur, neque quis advectitia peregrinaque, quae in ejus religione, vitae disciplina et ratione, literis et artibus infuisse absurdum esset si quis negaret, a genuinis, nativaeque ex indole profectis facile discreverit, etiamsi non sit hebetioris ingenii. Quid autem est, quod horum admoneamus, quae cuique, licet mediocriter antiquitatis notitia inbuto, sole clariora ante oculos observantur? ad ravim enim omnia haec jam decantata sunt, meritissimoque in se admitteret ignorantiae rusticitatisque culpam, qui, si qua tempora, post Graeciam Romanorum in potestatem ditionemque redactam, bonarum literarum liberaliumque artium lumine collustrata erant, facem apud Graecorum scriptores sive recta sive obliqua via accendisse, negaret, neque confiteretur, illum in omnia tempora memoratu dignissimum populum humanitatis elegantiorisque cultus omnium generum exemplaria, etiam nunc imitanda, proposuisse; quid? quod in primis post renatas, medio, quod dicunt, aevo literas, non defuere, qui nimii, ne dicam inepti, in cujusvis generis literarum artiumque auctoribus graecis essent admirandis, ut quae posterius invenissent, literisque mandassent, nil esse ad illorum splendidissime inventa contenderent. Quod si ejusmodi fines egressa admiratio summo jure vituperanda est, isti tamen fastidio superbo, quo recentissimorum quidam illorum opera, quasi prae horum temporum egregie composita pueriliter confecta, vel saltem pio religiosoque sensu nimium destituta, juventutisque animos corrumpentia despexerunt, multo etiam magis nota inuratur oportet. Nostrum certe est omnium, quibus pueros adolescentesque educandi et instituendi demandata est provincia, non solum Graecorum scriptis noctu diuque operam navare perlegendis, vel potius in succum et sanguinem, quod dicunt, vertendis; sed etiam eorum amorem discipulis nostris omni, qua possumus, opera viriumque intentione inserere, ut habeant, quos ut veri, pulchri rectique incorruptissimos iudices imitentur, licet latere non debeat nos, Graecorum in scriptis multa reperiri, - quae purioris mitiorisque Christianae religionis edoctus praecepta, ex iisque vivere solitus, non possit non respuere, quaeque adolescentibus pro vera rerum conditione explicanda sint, ne quantum in literis artibusque profecerint, tantum in moribus deficiant.

Graeci quum ii nonessent, qui servilem in modum vestigia aliena calcarent, sed qui suis sibi utique insistendum esse censerent, quaeque peregrinis accepta referabant, suo adaptarent ingenio: per se jam conjici potest, illos etiam in ea re, qua sane nec gravio-

neque ut illorem rebus et publicis et privatis, ullam reperias, in liberos educandi et instituendi ratione aliquantum laborasse, in eamque illos viros, quorum vel maxime interesset, salutem et publicam et domesticam, quam firmissimis stabilitam esse fulcris, summo opere inquisivisse, quamvis non quantum nostrates facere solent, de illa re ratione viaque disputaverint, cogitandoque inventa in vulgus ediderint; quod quidem nobis dolendum, illis autem vitio non vertendum est, quippe qui in omnibus, quae agerent versarentque, magis vitam quam scholam respicerent, persuasissimumque haberent, non scholae sed vitae discendum esse. Quae quum ita essent, legislatores, quorum ille populus progenit dignos, quos omnis memoriae regionisque clarissimorum in numero ducas, ut res publicas quam sapientissime optimeque componerent, pro parte virili operam in puerorum adolescentiumque convenientissime instituenda educationis ac institutionis ratione (nam puellarum virginumque plerumque minor habebatur cura) ponebant, parentibusque arctiora laxiorave injiciebant vincula in liberorum suorum educatione, prout unum quemque plus minus civitati adscriptum, neque sui juris esse jubebant. Sicuti enim, nisi perpenderit, antiquitatis viros multo arctius quam nostrates civitati conjunctos fuisse, haud pauca dicta et instituta, quorum ad nos permanavit memoria, recte intelligere non possumus: ita etiam, quatenam apud veteres, praecipue Graecos, educationis et institutionis valuerit ratio, investigaturo ne utiquam omittendum est, filios eorum maxima, ne dicam omni, ex parte ad disciplinam civitatis institutos et eruditos esse. Optime de patria sua meriti legumatores utriusque, qui dicitur, Helladis oculi, Lycurgus et Solon id prae omnibus spectabant, ut jam de tenero ungui pueriis moribus, eaque cogitandi sentiendique ratione imbueretur, quae tantum non a prima vitae aetate cum patriae suae institutorum amore incenderet, seseque, adulta aetate, civem patriae amantissimum praestandi studio impleret, quum probe intelligerent, recentem, quo semel sit imbuta, odorem in perpetuum retinere testam. Civem non nisi civitatis causa esse, in eamque quidquid in ipso inesset virium et animi et corporis impendere, neque sui sed patriae habere rationem debere, quum sibi persuasisset illi magni rerum publicarum moderatores, non ita reprehendendi sunt, voluntati atque arbitrio parentum, ut qui prae nimio erga liberos amore, saepissime id, quod illis conducatur, veroque sit commodo, parum perspiciant, minus si concedere non habuerint religioni, quam hodie moris est, ut parentibus concedatur. Quod autem ad educationis et institutionis rationem adinet, Solon immanequantum a Lycurgo jam discrepat, idque mirum nobis videri non potest, quum perpenderit, Solonem tribus fere saeculis post Lycurgum res publicas Atheniensium perturbatas sapienter institutis composuisse, diversaque, quae illa per tempora exstiterit, sentiendi cogitandique ratione, multo autem magis ipso patriae urbis situ, ejusque cum vicinis et remotissimis populis commercio, Athenienses longe diversis indigere legibus, quam quas Lycurgus patriae suae tulisset, edoctum fuisse, eamque ob causam educationem liberorum non tam arcte circumscriptam quam apud Lacedaemonios esset, neque civis tantum sed totius hominis in educando rationem haberi voluisse. Quid quantumque operae aliis Graeciae civitatibus qui imperii formam induerunt, in educatione et eruditione puerorum optime instituenda collocaverint, non aequae compertum est atque id, quod Lycurgus et Solon hunc in finem summa cura et diligentia laboraverunt; attamen et illos id curasse constat, ut pueri et adolescentes ad certas et accurate definitas leges conformarentur, siquidem recte conjici potest, tota Graecia civem magis civitatis quam sui juris fuisse.

Philosophorum, a Pythagora, cujus disciplinae plurimum intererat, liberorum educationem et institutionem nequaquam negligi, quum discesseris, ante Socratem nemo fere, qui quidem dignus sit memoria, de hac re gravissima commentatus est, vel, si quid commentatus erat, literis consignatum reliquit, et ad scriporum temporum notitiam propagavit; philosophi enim, Socratis usque ad tempora, de natu naturaque deorum, de origine et vi rerum coelestium, quas natura ipsa involucris quasi quibusdam et velis prudenter et de industria mortalium acumini subtraxisse videtur, disputationem multo magis, quam de vita communi, quaque ratione optime institui possit, ad ipsos pertinere arbitrati, legumlatoribus disputationem de educationis et institutionis ratione, quae quidem liberorum naturae aptissima esset, reliquerunt; quid? quod non minimae auctoritatis viri, qui et ipsi sapientiae doctorum nomina et laudes adfectabant, splendidaque fucataque eloquentia summo apud aequales perfruebantur honore, adolescentes, quos veneribus lenociniisque dictionis, et studiis eorum ad voluptatem levitatemque propensis blandiendo alliciebant, non modo non ad meliorem revocabant frugem, sed funditus saepissime corrumpabant, in primis quum ipsi se docere profiterentur, quomodo causa inferior dicendo fieri superior posset. Quorum sophistarum juventuti perniciosissimum, moribusque corrumpendis, omnique ingenuae virtuti radicitus extirpandae aptissimum studium indignatus, eorumque, qui toti obscurissimis spinosissimisque rebus occupati essent, inanem futilemque operam ratus, non poterat non Socrates, qui miro verae sanaeque ad vitae rationes spectantis sapientiae amore ardebat, omnem ponere operam in ejus praeceptis accuratius perspicendis, iisque hominum, quos quotidie conveniebat, animis summa qua posset diligentia inculcandis; quam ob rem a Cicerone, antiquitatis inter philosophos licet non summum, tamen non infimum locum obtinente, non modo parens philosophiae, sed etiam is adpellatur, qui philosophiam e coelo devocaverit, et in urbibus collocaverit, et in domos etiam introduxerit, et coegerit, de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere; omnia quae uberius et fusius cum ex aliis Ciceronis scriptis, tum ex Tusculanis disputationibus intelligi possunt. Quod si ergo, ut inter omnes, et veteres et recentiores rerum philosophicarum arbitros constat, philosophiam magistram vitae, rerumque humanarum emendatricem esse, aetatis suae hominibus probasse, summo jure Socrati debetur: et per se manifestum est, illum, fieri non debere, quin haec vitae magistra etiam ad liberorum ingenuam liberalemque educationem et eruditionem vel maxime referatur, censuisse, et ex iis, quae discipuli de magistro suo memoriae prodiderunt, luculentissime apparet. Quam vero rationem et in sapientiae doctrinis explanandis, et, quod propius ad nostrum propositum accedit, in educatione et institutione sequutus sit, haud scio an rectius clariusque ex Xenophontis, quam ex Platonis perceperis scriptis, illiusque, Memorabilia Socratis qui inscribitur, liber genuinam ad vivumque expressam philosophiae parentis imaginem lectori aliquanto accuratius exhibuerit, quam dialogi Platonis, Socrates licet primas in his tueatur partes. Difficilius quidem quamvis sit, ex Platone Socratem, qualis vere fuerit, cognoscere, quaeque illius propria, et quae a magistro profecta sint, distincte discernere, ejus scripta tamen, si qua alia, tam gravitate pondereque sententiarum, quam venustate nitoreque dictionis lectori attento summo sunt usui summaeque delectationi. Maximae igitur et amplissimae auctoritatis viri et antiquorum et recentium temporum, qui sagacitate ingenii, doctrinae copia, studioque vera perscrutandi excelluerunt, in Platonis explicandis et enodandis scriptis laborasse reperiuntur, neque hi dubitant, Platonis, post

clarissimi Ficini accurata pariter et eleganti interpretatione de ejus scriptis latius divulgandis immortaliter meriti operam, lectionem potissimum id effecisse, ut tenebrae scholasticae, quam vocant, philosophiae sensim dispergerentur, generique humano clarius sereniusque accenderetur lumen. Tanti ponderis tantaeque gravitatis philosophus, qualem Platonem fuisse in confesso est, quaenam de liberis educandis, eorumque animis et corporibus excolendis cogitata scriptis mandaverit, diligentius perscrutari, si quid aliud, summam progignit voluptatem et utilitatem; quia vero non proprio libello de ea re disputavit, ex singulis ejus scriptis singula conquirenda sunt; illos autem libros, quibus de rerum publicarum conditione melius optimeque instituenda copiosius disseruit, quales sunt Politicus, leges et politia, ampliora etiam de educatione et institutione continere, jure meritoque conjici licet. Quorum librorum is, qui de republica inscribitur, minus sane, quam merebat, interpretum studium in se convertit, quod praeter eas, quae et in aliis Platonis dialogis obtruduntur, difficultates, eo quod auctor argumentum, quod sibi proposuit tractandum, recta non semper persequitur via, sed saepenumero digressionibus, quamvis suavissimis et doctissimis, utitur, provenientes, alia etiam ab illo legendo diligentiusque interpretando absterruerunt auctores. Simili igitur et cognata ingenii indole, menteque philosophia et literis perpolita ad Platonis scripta evolvenda, eorumque sensum enucleandum aptissimus quisque operam in quovis alio philosophi libello potius sibi ponendam esse censebat, quam in eo, quem nil nisi vana ac futilia somnia de perfectae omnibusque numeris absolutae civitatis forma, licet ingeniosissime, garrientis viri continere vulgo arbitrabantur. Quo accessit, ut vel duplex inscriptio: de republica sive de justo, interpretes suspensos tenuerit, utrum perfectae civitatis formam, justitiae vim naturamque demonstrandi, an justitiae, perfectae civitatis constituendae causa, delineaverit auctor. Quarum utra utri praestet sententiarum veriorque sit, quum utraque judicium minime spernendorum gaudeat patrocinio, dijudicare meas quidem vires aliquantum superegredi vires probe intelligo, quamquam quae priori ex inscriptionis parte deducta est sententia, probabilior mihi esse videtur; verum paulum, nedicam nihil, facit ad rem, quam mihi proposui tractandam; quae nam enim perfectae forma sit civitatis oporteat, quaestio sive est primaria sive secundaria, id tamen perspicuum est, nec civitatis perfectae, nec justitiae, quae omnium virtutum locum tueatur, formam ad effectum adduci posse, nisi liberorum optime instituendae educationis summa ratio habeatur, quia vix dici potest, quantum proba a teneris jam inchoata educatio et eruditio valeat conferatque ad civitatis et virtutis praeceptis recte respondendum. Socrates, cui et hic, ut et alias facere solet, Plato primas adsignat partes, ubi cum Glaucone e Piraeo, quo pompam spectatum se contulerat, revertitur, a Polemarcho, ut secum coenet, invitatus, ejus domum ingreditur, ibique quum alios familiares tum Polemarchi patrem Cephalum, senem fere decrepitem, quia modo sacrificaverat, coronis ornatum, convenit, qui prompto paratogue animo suavissimam ad confabulationem cum Socrate sese applicat, et sermonis jam argumento plectus, senectutem sibi minime molestam videri confitetur, ut quae ex perturbationum animi voluptatumque duro imperio hand amplius pendeat, dummodo vita juste sancteque peracta sit, nullius enim culpae sibi conscium spem jucundissimam, fore ut semper ipsi res salvae sint, ad summam usque senectutem comitari. Quam de justitiae vi et natura prolixius disputandi Socrates nactus occasionem, ad propositum propius accedit, civitatisque formam, in qua justitiae et cuique alii virtuti optimus locus sit exercendae, perscrutatur, et quum huic consilio ea civitas

optime satisfactura ei videatur, cui sapiens sive philosophus praesit, plebe omni administrationis communione exclusa, ordinique militum defensione patriae demandata, accuratius in rationem inquirat, qua procerum et ordine et ingenio praestantium filii, quibus adultis magistratus committendi sint, instituantur et excolantur oporteat. „Quaenam igitur haec erit disciplina? interrogat Socrates Adimantum, Glauconis fratrem; nonne erit difficile meliorem invenire longo jam ex tempore usu recepta? Est autem ad corpus curandum quae pertinet gymnastica, ad animum musica, sed a musica prius quam a gymnastica haec eruditio incipienda est.“ Musica igitur quum pertineat ad animi dotes et virtutes rite excolendas, eumque ita fingendum et exornandum, ut qualem esse oporteat quam optime institutus evadat: illam non solum esse eam artem, qua instrumentis musicis soni eliciantur, voxque humana secundum numerum et rhythmum cantus et carmina fundat, certo non est quem praetereat, antiquorum licet temporum homines et huic arti aliquanto majorem ad animos conformandos et emendandos adsignaverint vim, quam nostrates adsignare solent, quorum adeo inveniuntur, qui animorum nervos molliri remittique, ipsosque quodammodo effeminari hac arte saepius adhibita arbitrentur. De proposito si quis cogitaverit, quod cuique liberorum educationi et institutioni operam navanti adpetendum sit, eum utique fugere non potest, quatenus utraque ad animum referatur, hujus virium, quibus quaeque altiora, quae vera, pulchra et bona sint, percipiamus, aequabilem, quoad ejus fieri possit, cultum id esse, quod ut consequatur, omnes vires intendere debeat, quoque, etsi non omnibus numeris effecto, melius et praestantius excogitari nequeat. Ejusmodi harmoniam et concentum omnium animi virium, quarum nulla ceterarum in detrimentum exculta nullaque neglecta sit, non modo recentiorum, qui de summo educationis fine meditati sunt et disseruerunt, id constituerunt, quod si quis consequutus esset, omne procul dubio ferret punctum, sed etiam ex antiquis, si quis de liberis recte educandis et erudiendis rite disputavit, etsi planis non expresserit verbis, in eadem fuit sententia, artemque sive potius artes, quibus animus aequabiliter fingi conformarique possit musicam adpellavit. — Quod ita sese habere, evidentissimo docuit Plato argumento, qui libro, qui inscribitur Phaedon, Socratem inducit Cebetis, qui illum poemata nonnulla in carcere composuisse non ignorabat, de iisque eum percontatus erat, respondentem, se illa carmina, nisi somnium quoddam quid sibi vellet, quod ut musicae studeret ipsum identidem admonuisset, tentare voluisset, non compositurum fuisse; hucusque enim id, quod egerit, philosophari optimam sibi visum esse musicam; iterum vero atque iterum eodem eademque monente somnio sibi oblato, in carcere num forte deus illam vulgarem musicam sibi imperaret tractandam, cogitasse, eamque ob causam quibusdam Aesopi fabulis rhythmum numerumque induisse. Socrates ergo philosophiam perfectissimam musicen esse censet, quippe quae vere regia ars, vereque magistra vivendi id spectet, ut animus sibi constet, omnique ex parte secum conveniat, ut omnes ejus vires summopere conspirent, earumque unaquaeque sua quidem agat, nihilominus autem rationi obsecundet. Ne vero Graecis musicam nil nisi illam aequabilem concinnamque animorum culturam fuisse opinemur, jam illa, quae de primis humanitatis inter rudes omniumque liberalium artium expertes Graeciae incolae disseminatae auctoribus narrata, etsi poetarum fictionibus exornata, fabularumque involucris tecta, prorsus tamen non ficta et veritate destituta omnium in ore vigent, acriter nos admonent. Quae quidem vis, quam illi antiquissimi poetae vatesque carminibus suis, quae laude deorum, pietatis commendatione, mutuaeque benevolentiae et caritatis praeceptis referta erant, ad

horum incultorum, sed non ita voluptatibus deliciarumque illecebris depravorum hominum animos humanitatis sensu imbuendos habuisse dicuntur, posteris temporibus tam manifeste evidenterque, ut quasi manibus contrectari possit, demonstranda ut sit, vereor; nihilominus autem sonorum cantuumque ars apud plerosque, ne dicam omnes, Graeciae populos vel maxime pollebat, neque magis adhibebatur, ut vitae severitas molliretur, animusque aerumnis aegritudineque prostratus erigeretur, quam ut meliores honestioresque animis instillarentur sensus. Non est ergo, quod miremur, Graecorum humanissimos eam jam ad liberorum teneros mores fingendos, eosque ad virtutis exemplum conformandos applicuisse. Suavitate pariter ac gravitate pondereque sonorum cantuumque (nam leves futilesque respuebantur) teneri ita comparabantur animi, ut virtutis humanitatisque praeceptis paterent; quod enim Cicero (Leg. 2, 15.) adfert, se adsentiri Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, id quicumque musicae et liberorum educationi studuerit, etiam nunc vere dictum esse fatebitur. Plato vero si forte non modo prae majori civium parte, sed etiam prae ceteris, qui inter Graecos educationi et institutioni juventutis meditando et disserendo vacaverunt, auctoribus, musicae vim, qua majorem ne concipere quidem animo possis, in educatione liberorum adsignaverit, hoc sane praeter insitum ipsi harmoniae et concinnitatis sensum inde repetendum esse videtur, quod in Italia inferiori, ubi Pythagoreorum fama in primis eum morabatur, horum praeclarissimos audiendi occasionem nactus sit. Pythagoras autem ejusque vestigia legentes discipuli dici vix potest, quantum ad animos omni vitiositate, pravitate et adfectuum perversitate liberandos musicae harmoniam valere crediderint. Sed haec haec hactenus, nunc ad propositum redeamus. Ubi igitur Socrates disciplinam, diu jam usitata, quae musica et gymnastica contenta sit, meliorem inveniri difficile esse exposuit, musicae sermones quosdam, eosque et veros et falsos, conjunctos esse, pergit disputare, hisque promiscuis, a noxiis innoxiiis minime discretis, plerumque tenerorum puerorum animos impleri; atqui uniuscujusque negotii maximi esse momenti initium, praesertim educationis, ut quae non ad primam tantum aetatem, sed ad universam vitam pertineat. Quae utique vera esse, Adimantus postquam adfirmavit, Socrates hisce fere verbis, quoniam prima puerorum educatio malo affecta sibi videatur, disserere incipit. Num ergo facile patiamur, quaslibet a quibuslibet fictas audire pueros fabulas, mentibusque imbibere opiniones, toto ab iis discrepantes coelo, quas quum adoleverint, fovere eos oporteat. — Neutiquam id permittendum est. — Primo igitur, ut equidem censeo, animus in fabularum conditores intendendus, et si quam pulchram honestamque confecerint fabulam, recipienda, sin minus, rejicienda est. Quae vero probatae et receptae erunt, matribus et nutricibus, easdem ut puerorum mollibus instillent animis, eosque his fabulis multo magis quam corpora manibus fingant, persuadebimus; pleraeque autem, quas nunc iis narrant, repudiata dignissimae sunt. — Adimanto, quales haec essent, percontato, Socrates persequitur disputationem: majoris ponderis et amplitudinis fabulae solae respiciantur necesse est; eandem enim formam et figuram in majoribus et minoribus fabulis inesse, easque eandem vel similem saltem vim ad animos habere oportet. Annon censes? — Adimantus censere se quidem, sed non intelligere, quales essent, quas ille majores dixerit fabulas, postquam respondit, Socrates eas ipsas nominat, quae in manibus oribusque omnium versabantur, et ante omnia dignae habebantur, quibus animi puerorum tenerrima jam aetate imbuerentur, quarumque auctorum nomina hic dicere vix adinet. Sunt enim Ho-

merus et Hesiodus, quos Socrates exagitat et insectatur, quippe qui falsas neque verisimiles fabulas composuerint, deos heroesque non ipsorum naturae convenienter conformantes, sed potius indignissima, ne dicam scelestissima, eos commississe facinora canentes; quemnam enim esse paulo acutioris ingenii hominem, qui, quam atrociter Saturnus in patrem Uranum, Jupiterque rursus in suum ipsius parentem consuluerit, apud Hesiodum copiosius legens narratum non indignetur? Quae vero licet verissima essent, rudibus tamen insipientibusque puerorum mentibus neutiquam patefieri, sed altissimo, quo fieri possit, silentio tegi, atque, necessitate ea explicandi urgente, cum quam paucissimis iisque initiatis in mysteriis communicari oportere. Pueri enim, cujus in mente ejusmodi fabulae atque errores inhaereant, perquam verendum esse, ne quaevis scelestissima licita et concessa videantur, quum deorum vel primos et maximos eadem commississe viderit. Qui vero aliquando civitatis praeficiendus sit administrationi, eundem non jam a puero bella, insidias rixasque deorum temere mota a poetis edoctum arbitrari debere, levissimis causis mutuam concipere fas esse inimicitiam; quumque quanta maxima fieri possit opera ei persuadendum sit, minime licere, civem civi esse in odio, ad hanc persuasionem progignendam accommodata pueris inde a tenerima aetate inculcanda, poetasque ejusmodi poemata componere cogendos esse. Quod si vero hoc ut crimen diluatur, quasi poetae absurda neque se neque deorum honore digna finxissent, illa non proprie intelligenda, sed per allegoriam interpretanda esse, dicatur, ne ita quidem pueris tradenda esse, quia vera et falsa, fictionem et sensum proprium dignoscere nequeant. Quae quis tam tenera aetate, qua plerumque pueri artibus et literis institui incipiant, imbiberit, difficillime postea, quamvis sint falsissima, evelli et extirpari solere, eamque ob causam nil antiquius habendum esse, quam ut omnes, quibus puerorum mentes imbuantur, fabulae quam optime comparatae sint ad virtutis semina mollibus adhuc animis injicienda. Quae omnia ad veritatem, si quidquam aliud, accommodata dicta esse, ubi Adimantus confensus, quaenam hae et cujusmodi fabulae essent, interrogavit, Socrates respondet, se nunc non esse poetas, sed civitatis quam perfectissimae conditores, quos nihilominus tamen nosse oporteat typos quosdam seu formas, quibus fabulae destitutae esse non debeant. Poetarum in primis esse, deum, qualis vere sit, effingere, palamque proponere, sive quis carmine sive cantu laudibus eum celebret; re vera bonus quum sit, talem etiam repraesentandum esse; quod vero bonum et honestum sit, non nisi bonarum et utilium rerum causam existere posse; deum igitur, utpote bonum, non omnium esse auctorem, quod quidem vulgus opinetur; malorumque numero bonorum multum superante numerum, hominibus a deo sola bona, licet malis multo pauciora, impertiri, eorumque neminem nisi deum, malorum vero quemlibet alium auctorem esse investigandum. Neque ergo Homerum, neque Hesiodum, neque quemquam ceterorum, qui in ore et sermone omnium vigeant, poetarum, audiendum esse, si quis prave et perverse, quamvis lepidissime et facetissime, de deo loquutus sit; vero igitur nequaquam convenienter poetam finxisse, Jovis palatii in limine jacere duo dolia, sortium plena, eorumque alterum bona, alterum mala continere; deusque si cui ex utroque hauserit sortes, huic alias bene, alias male res cedere; verum esse etiam, quibus ex malarum sortium dolio tantum hauriat, eosque totam per vitam vesana exagitari aegritudine; nec magis, deus quum bonorum solum dispensator sit, Aeschylum fidem addendam adolescentesque docendos esse, deum mortalibus causam exitii progignere, domum quando pervertere et radicibus extirpare velit. Quod si autem quisquam quod vel Niobae,

vel Pelopidis, vel Trojanis acciderit miseriarum, vel alia quaeque id genus referret, aut concedendum non esse, ut haec a deo profecta esse contenderet, aut dicendum, deum quidem juste beneque egisse, illos vero, ut ad meliorem frugem redirent, punivisse; verum miseros esse, in quos deus tam dure animadverterit, deumque nil aliud spectasse, nisi ut hujus miseriae auctor exsisteret, a poetis dici non oportere; si vero dicerent, malos, utpote miseros, poenis egere, hisque a deo irrogatis emendari, non fore quod reprehenderes. Quaecumque igitur fieri possit ratione, opinionem dicentium, deum ipsum hominibus mala, quibus vexentur, procreare, impugnandam esse, ne quis talia dicat in urbe, quae quidem bonis gaudere velit legibus, neve quis audiat, sive junior, sive senior, quae nec pia sint, cum dicantur, neque utilia, neque ipsa sibi congruentia. Hunc igitur primum esse typum, cui convenienter unumquemque et dicentem dicere, et fingentem fingere oporteat, deum non omnium, sed nonnisi bonorum esse auctorem. — Secundus vero quisnam sit typus investigaturus, Adimantum Socrates interrogat, numquid putet, deum esse praestigiatores, atque furtim quasi ex insidiis alias sub alia specie apparere, hominesque decipere; an potius simplicem esse verumque, suamque figuram nullo tempore nullaque ratione immutare? Adimanto quidnam respondeat ambigenti Socrates exemplis demonstrat, quo quidquam integrius et perfectius sit, eo minus cadere in illud mutationem; quidnam causae ergo esse censendum sit, cur, ut qui quaecumque ratione longe optimus sit, deus plurimas easque diversissimas exhibeat formas? deorumque natura et ingenio indignissime finxisse poetas, eos saepenumero hospitem instar hominum adire urbes, alibique aliam speciem prae se ferre; quibus quo minus fabulis matres terreat infantes praeter omnia prohibendum esse, deorum honor ne extenuetur, infantesque timore vano impleantur. Hanc alteram esse formam educationis, secundum quam de deo ita dici et fingi oporteat, ut neque ipse sit praestigiator, semet ipsum mutando, neque hominibus mendaciis vel verbis vel rebus imponat. Quae quum ita sint, quaecumque ab Homero vel quovis alio poeta diis indigna, licet suavissima, ficta sint, summa cum indignatione excipienda atque explodenda, neque magistris juventutis concedendum esse, ut ea ad puerorum institutionem et educationem applicent, si quidem civitatis custodes pii, et quantum fieri possit, divini esse debeant.

Hactenus Plato secundo disputationis libro ea explicat, quae pueros adolescentesque de deo ejusque natura praeceptores doceant necesse sit, ut ejus sublimitati sanctitati que quam convenientissime sentiant, et suam ipsorum vitam ad hanc veram sibi insitam dei imaginem exigant, eumque, si quando ad rem publicam capessendam accesserint, quantum per humanae imbecillitatem naturae fieri possit, referant. Prae hac, quam unice adpetendam esse censet, re consequenda, nil est commodi, nil est voluptatis, quod non modo despectum sed plane extirpatum velit, si quidem illi consilio primario obstaculo esse posse videatur; ne ergo subeat mirari, neve Platonis sensum pulcri et venusti acutissimum desideremus, quod vel maximum omnium poetarum, quo cujuscumque aetatis homines, et pueri et adolescentes, et viri et decrepiti senes legendo summa perfunduntur laetitia, Homerum et quemlibet alium poetam, qui perversa de deo opinione pueros imbuere, eoque facilius imbuere potest, quo dulcius et venustius finxit cecinitque, in civitatem suam perfectam non recipit. Saepenumero, Cicerone praeunte, jam dictum est, Platonem omnes cuiusmodi poetas e civitate sua absoluta exterminasse; sed nimium quantum hocce adfirmantes a vero aberrant, quod vel obiter disputationes de perfecta civitate qui legerit, facile sibi persuadebit; adeo non tam dure, ne dicam inhumane, in omnes poetas consulatur vult,

at lyricorum, laudibus deos hominesque, vitae probitate morumque integritate, beneficiis-
 que in cives collatis praestantissimos celebrantium, carmina, idque eo lubentius in ci-
 vitatem suam excipiat, quo promptius celeriusque sonorum dulcedine in animos sese insi-
 nuant, eosque sui non compotes secum abripiunt, quoque verius est, quod Horatius (Epist.
 II, I, 126 sq.) tam suaviter et venuste cantat. Vis imaginandi in puero prius quam ratio
 quia movetur, quicumque eorum educandorum munus susceperit, id praecipue spectet,
 quomodo virtutis et probitatis praecepta prius phantasiae quam rationi probentur. Quod
 negari quum nequeat, Plato erroris, atque adeo stultitiae rusticitatisque absolvi ut posset
 crimine vereor, re vera si omnes poetas e civitate sua ejiciendos esse censuisset; verum ea-
 dem de causa, qua poetis, carminibus suis sensus honestos piosque commendantibus, luben-
 tissime locum in sua civitate concedit, poetis, vanis vilissimisque fictionibus animos cor-
 rumpentibus, prorsus eum recusat. Quae quum reputaverimus, mitius sane quam passim
 factum est, de Platone judicabimus, quaestione, num recte an secus de poetis in civita-
 tem perfectam admittendis, vel ex ea excludendis constituerit, proposita; nulla enim in re
 intentius laborandum sibi persuaserat, quam ut animi non unius alteriusque civium, sed
 omnium vel saltem eorum, quorum curae reipublicae summa committenda esset, quam ve-
 rissimis de deo divinisque rebus imbuti opinionibus, ad quaecunque et sibi et universae civi-
 tati salutaria perpetranda pellicerentur; quod vero neutiquam effici posse arbitrabatur, si
 a teneris aures puerorum falsa turpiaque audirent, quae poetarum lenociniis et illecebris
 penitus in iis inhaerent. Educatio, quam vocant moralem, cujus praecipuum est munus
 prohibere, ne malum, ad quod a prima jam aetate homines procliviores sunt quam ad bo-
 num, altius radices in intimam animi medullam demittat, et id curare, ut tener jam animus
 verae religionis et virtutis semina concipiat, apud Graecos magis quam apud nos, quos reve-
 lata sanctissimaeque religio Christi puriore lumine perfundit, negligebatur, puerique primas
 de rebus ad pietatem morumque integritatem pertinentibus notiones ex poetarum, inque pri-
 mis Homeri lectione hauriebant, quo fieri non poterat, quin deorum eam sibi imprimerent
 imaginem, quae vetaret, ne eos tanquam exempla vitae, quae quidem imitanda essent, sibi
 proponerent, atque eas sentiendi agendique imbibere rationes, quae ad severae regulas
 virtutis non exactae essent. Sed ne longi simus in rationibus conquirendis, quibus phi-
 losophus ductus tam severe de poetarum maxima parte judicaverit, jam ad ea progrediam-
 mur, quae tertio libro de reliqua puerorum educatione eruditioneque praecipit. Quenam
 de diis a tenerrima statim aetate pueris audienda et non audienda sint, ut pietas virtusque
 plurimi ab iis aestimetur, secundo quia exposuit libro, tertio quibusnam potissimum dic-
 tis illae virtutes, quibus probum hominem bonumque civem sese probaturus carere non
 debeat, instillandae sint pueris, plenius explicat, praesertimque poeta fortitudinem tempe-
 rantiamque pueri in animo cantu suo stabiliat augeatque, atque omnia, quae illarum incre-
 mento officere possint, removeat, postulat. Procul ergo sint, quae puero mortis incutere
 possint timorem, efficereque, ut, si quando adoleverit, ignominiam cladis servitutumque
 morti honestae praeferat; absint praecipue, quae de inferis luctuosa et horrenda a poetis
 narrantur; quotum enim quemque futurum esse, qui recte vereque apud Homerum Achillem,
 se vel pauperrimo apud superos viro servire malle quam omnibus imperitare defunctis, dicere
 arbitratus, timoris expers et intrepidus pericula subire mortemque contemnere auderet? Jam
 etiam qui ab ineunte aetate Cocytum, Acherontem, aliaque ista Orci monstra et terricu-
 lamenta ipsum post mortem manere doctus sit, esse quod metuas, ne prae timore mollior

tardiorque reddatur ad labores jussos debitosque. Quarum omnium fabularum in locum substituenda esse carmina, quae tenerum jam puerum fortitudini, magnanimitati et constantiae adsuefaciant, doloremque mortemque adspernari doceant. Quaecunque fieri possit ratione animus ejus corroboretur; planctus et lamentationes, etiamsi carissimi morte erepti sint, respuantur, atque re vera ea repudiaturum esse, qui in morte non inesse, quod timorem incutere debeat, persuasum habeat; ejusmodi querelas convenire magis mulieribus, neque his quidem optimae indolis, virorumque improbis et ignavis; Homerumque ipsum culpa adeo non vacare, ut qui severe exagitetur dignus sit, quod Achillem tam immoderate de occiso ipsique erepto amico, Priamumque de filio dolentem finxerit; his enim saepius et cupidius auditis, neque tamquam viro forti indignis despectui habitis, pueros, si quando in ipsos gravioris causa doloris cecidisset, sibi etiam muliebriter dolori succumbere licere existimatos esse. Vetat igitur Plato, ne puer flebiles audiendo cantus molliores induat affectus, quam ut sperari liceat, fore ut adultus dolori vehementius ingruenti forte objiciat pectus, suadetque, masculis carminibus contra quamque muliebrem imbecillitatem ut muniat, et ad temperantiam moderationemque a praeceptoribus, quam fieri possit diligentissime alliciat; quemque enim in cibo, potu aliisque voluptatibus continentissimum, modestum etiam patriaeque amantissimum, summisque magistratibus fore civem obedientissimum. Quam ob causam indignatur Plato, quod Homerus Ulysses, virum alioquin prudentissimum inducit dicentem, omnium sibi videri pulcherrimum, quando pane carneque repletae essent mensae, vinumque pincerna ex cratere haustum infunderet in pocula, quodque deos plurimis iisque turpissimis voluptatibus mancipatos depingit. Quod si vero Ulysses, fluctibus jactatus, navi fulminibus procellisque hinc illinc coortis disrupta, dum in eo est, ut animum despondeat, indignabundus lateraque percutiens cor increpat dicens: patere cor; nam et alias longe graviora perpessum es; haec horumque similia pueri adolescentisque audiant praecipit, quod optima inde sumere possint exempla; ne vero audiant poetas docentes, multos quidem improbos esse sed beatos, justos vero aerumnosam saepe degere vitam, justitiamque cuicumque alii potius ex usu esse quam ipsi, qui eam exercent. Quam verae omni sinceraeque virtuti perniciosissimam sententiam, fieri posse, ut felicitas improbo etiam contingat, Plato obiter tantum hic tangit, quoniam veram justitiae i. e. virtutis vim et naturam nondum accuratissime exposuit; hoc vero summo jure contendere potest, Platonem persuasum habuisse, omne honestum etiam utile, et omne utile etiam honestum esse.

Dictionis genus conjunctissimum quia est argumento sermonis, Plato de illius ratione disputare auspicatur, non quodlibet dicendi genus educandi et instituendi optimae rationi convenire recte arbitratus. Poetae sive praeterita, sive praesentia, sive futura composituri et picturi, aut simplici narratione, ut dithyramborum et carminum auctores, utuntur, aut res repraesentant, quasi coram auditoribus agantur, ut comoedi et tragoedi, aut utrumque jungunt modum, ut epicorum carminum scriptores; quarum primam tantummodo rationem perfectae suae civitati, educationique optime institutae aptam esse censet. Nam in tragoediis, comoediis et carminibus epicis praeter turpia, quae passim contineant, multa simulari et dissimulari, puerosque ea videntes et audientes facillime simulationi et dissimulationi assuescere, qua pejor homini accidere non possit pernicietas.

Ubi Socrates hanc rem pluribus explanavit, quantumque periculi cujusque rei inhonestae imitatio minetur, exposuit, hisce fere verbis suavissimis hanc disputationis par-

tem ad finem perducit: si quis tanta prudentia et ingenii celeritate ornatus, ut in omnes formas vertere sese posset, in ipsorum urbem venturus poemataque sua ostenturus esset, honorificentissime utique se eum excepturos, tanquam sacrum divinitusque missum, audituque jucundum, ipsi autem se dicturos, sua in urbe non inesse ejusmodi virum, neque inesse licere, eumque coronatum unguentisque delibutum aliam in urbem deducturos, alio autem poeta, licet austeriora minusque jucunda sed honesta probaque caneret, usuros esse.

Arctiores hos esse fines, quibus poësis circumscribatur, nemo non intelligit; dramaticis enim maximaque ex parte etiam epicis poetis exclusis, ars ipsa spatium, in quo vires suas exercent, nimis coarctatum esse queretur, talique civitati, qua ipsi alas liberrime extendere non liceat, sereno gratoque non arridebit vultu. Ne vero injuste praveque de Platone judicemus, eadem fere nobis perpendenda sunt, quae jam supra de morum ad virtutis religionisque instituta informandorum ratione Graecorum, ab ea, qua nos utimur, mirum in modum discrepante, tetigimus. Sed multo evidentior nobis erit causa, cur, ne de epicis poetis loquamur, comoedos et tragoedos in civitatem suam excipere noluerit, quando reputaverimus, quam late ars dramatica apud Graecos, in primis autem apud Athenienses patuerit, et quantum ad mores incolarum fingendos valuerit. Ubi non ut apud nos vespertino tantum tempore, negotiis diurnis confectis, animi gratia, utque vires opera intenta attenuatae restaurentur, theatra adeuntur, sed ubi maximam haud raro per diei partem coram iudicibus juratis et electis certamina dramatica eduntur, quibus populus aequae studiose et religiose ac concionibus publicis interest, ibi profecto illam artem majorem paene quam animo concipi possit, vim ad mores hominum conformandos habere non solum posse, sed etiam habituram esse, fatendum est. Ubinam vero gentium ars dramatica acrius et diligentius exercita et culta est quam Athenis, quae, etiam si gravissimi viri in scena transducerentur derisive exponerentur, nequam aegre ferebant, sed potius vividissime applaudebant, omniaque facete salseque, etsi inhoneste turpiterque dicta probabant. Quod quum populi jam per se ad levitatem proclivis animi non posset non corrumpere, minus miremur, Platonem comoedis, et, quum in tragoediis etiam multa ad mores emendandos parum apta dicerentur et agerentur, tragoedis in civitate sua locum dari noluisse.

